



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 7. Iudæi, qui Christo emendo vilißimum pretium constituerunt, vilißimo pretio venditi sunt & ipsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



mirans ait: *Murus quidem vno minus quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim edificata sunt: eorum gyrus decem stadiis numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut tamen dignum mensibus videretur; celeritas verò fide caret.* Hoc pacto factum est, quod dixit Christus exitium urbis deflens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te (nempe muro) & coangustabunt undiq;.* Et ipse Iosephus ait: *Tum ergo velut in carcerem tota gens conclusa est, & facta hominibus ciuitas obsidebatur.* Itaque Iudæi tamquam feræ in cauea, aut rei in carcere clauderentur, ut nemo exire, nemo fugere posset. Verè dictum: *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam & ipsi Christum ligatum in vinculis habuerunt; vicissim capiendi & ligandi.

Luc. 19.

Ioseph. lib. 7. de bell. Iud. cap. 17.

Matth. 7. 2.

§. VII.

*Iudæi, qui Christo emendo vilissimum pretium constituerunt, vilissimo pretio venditi sunt & ipsi.*

6. Ut autem Christum sic capere possent, vilissimo pretio à proditore Iuda Deum emerunt. Triginta argenteis venditus est, cuius sunt omnes thesauri totius mundi. Si



iam lytrum vile pro magno belli duce pereretur, ignominiam is sibi illatam putaret. Iudæi pro illo, qui *dux est & legifer noster*, ipsi pretium constituerunt, & quàm vile? Pro eo, pro quo tot martyres vitam & sanguinem posuerunt; pro quo tot Confessores Mundum reliquerunt, non dederunt, nisi 30. attingentes. Ita qui cælum & terram creavit, apud iniquissimos homines, non valet plus, quàm ager figuli. Quare ut *in qua mensura mensi fuerant, remetietur* etiam illis, innumerum Iudæi à Tito capti, vilissimo rustici pretio venditi sunt. Captiuorum autem à Iosepho numerantur nonaginta septies milia; è quibus, qui infra decimum septimum annum erant, in mancipia, quasi teruncio vendebantur. Immò non erant, qui eorum emere vellent. Et, ut dicam quàm viles tunc habiti sint Iudæi etiam nobilissimi, & dignissimi, sicut illi Christum 30. argenteis emerunt, ita postea 30. Iudæi vno argenteo, immò vno denario venditi sunt. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Viliissima merx, Iudæi, animaduertite iustitiam diuinæ æquitatem, vno denario venditi estis, qui totius Mundi pretium triginta argenteis vendidistis. Nihil est ut conqueri possitis, par pari redditum est.